

46

DISPUTATIO PHYSICA
De
SENSIBUS EXTE-
RIORIBUS:

Quam

DEO OPT. MAX. auxiliante,

Sub praesidio

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI
VIRI, DN. M. HENRICI DAUBERI, OR-
dinarii in Illustri Schola Nassovica-Herbornensi Philo-
phiæ Professoris publici, exercitii gratiâ Physio-
logiæ studiosis examinandam
proponit

JOANNES-FRIDERICUS RAMSOERUS
Scaphusiano-Helvetius.

Ad 11. Augusti, horâ & loco consuetis.



HERBORNAE NASSOVIORUM
Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1604.

PIETATE, PRUDEN-
TIA ET AUTORITATE
PRAESTANTISSIMIS VIRIS,

Dn. HENRICO RAMSOUERO Scaphusiano, Lepon-
tiorum praefecto succedanco dignissimo:

Dn. CASPARO RAMSOUERO Senatori Scaphusiano
prudentissimo:

*Fratribus germanis: patruis suis omnibus observantia
studii in perpetuum colendis:*

RECON

NOBILITATE, VIRTUTE, MO-
RUMQUE PROBITATE CONSPI-
cuis Juvenibus,

Dn. CHRISTOPHORO von Waldkirch Consobrino suo
dilectissimo:

Dn. CASPARO PEYERO von Haslach matrueli suo
charissimo:

commilitonibus suis suavissimis,

Hasce Theses studiorum specimen in de-
bita gratitudinis proportiona atq; tessera
officose inscribit & offert

JOAN. FRID. RAMSOUERUS
Scaphusiano-Helvetius.

DISPUTATIONIS PHYSICÆ

De

SENSIBUS EXTERIORIBUS

THESIS PRIMA.

QUONIAM doctrina de sensibus exterioribus non solum scitu est dignissima, verum etiam valde necessaria, siquidem Animal per sensum est Animal; illam, ut eò magis innoscat, in disputationis theses referre visum est.

II.

Sed cùm sensus à sentiente Anima originem ducant, & ab illa diminant, illius definitio & divisio nobis præmittenda videtur.

III.

Est igitur Anima sentiens vis, sive facultas, quæ apprehendit ea quæ extra ipsam sunt, & corpus animatum movet, mediantibus tamen instrumentis corporalibus.

IV.

Hujus duo sunt facultatum principia: Vis scilicet apprehensiva, & vis motiva.

V.

Vis apprehensiva est, quâ præsentia & absentia objecta percipimus.

VI.

Hæc dividitur in sensus exteriōres & interiores.

VII.

Vis motiva est, quâ tam externi quam interni animalis motus in nobis carentur.

VIII.

Sed hac posteriore animæ sentientis facultate relictâ, de prioris parte, sensibus scilicet exterioribus, disputationem instituemus.

IX.

Sensus igitur exteriores sunt sensus, sive sentientis Animæ *duoque*, quibus Animal præsentia tantum objecta primò percipit.

X.

Sed priusquam ad singulos sensus accedamus, generaliora quadam ad sensum requisita nobis præmittenda sunt.

I. REQUISITUM.

XI.

Vt igitur sensio fieri possit, requiritur primò facultas sentiendi, quæ sensile percipit, in spiritibus animalibus residens, & per nervos tanquam canales ad unumquodque sensus organum transiens.

II. REQUISITUM.

XII.

Deinde sensile seu objectum postulatur, quod quasi causa movens est, id est, quæ movet sensum.

XIII.

Sensus enim ut sentiat, ante se requirit aliud quicquam quod sentiat.

XIV.

Eaitaque sunt sensilia objecta, quæ sensu percipiuntur.

XV.

Suntque duplicita, vel *per se*, vel *per accidens*.

XVI.

Sensilia per se sunt, quæ primò à sensu exteriore percipiuntur.

XVII.

Dico primò, quia nullo alio interveniente percipiuntur.

XVIII.

Hæc vel sunt pluribus sensibus communia, vel unius propria.

XIX.

Communia dicuntur, quæ pluribus simul percipi possunt sensibus.

XX.

Illorum sunt quinque: Magnitudo, Motus, Situs, Numerus, Figura.

XXI.

Hæc enim non uno aliquo sensu tantum, sed pluribus, percipi possunt.

sunt. Ut Medicus pulsus motum & visu & tactu percipit: sic magnitudo alicujus corporis non solum oculis cerni, verum etiam manibus contrectari & percipi potest.

XXII.

Propria sunt ea, quae a nullo alio sensu sentiuntur, nisi ab illo cuius sunt objecta propria.

XXIII.

Horum etiam numerantur quinque: Color, Sonus, Odor, Sapor & Qualitates tactiles.

XXIV.

Sensilia per Accidens sunt ea, quae non primò, sed mediante alio percipiuntur. Ut nivis color in campo afficit meos oculos tanquam sensibile per se; sed cum in eodem campo limitem videam, non video limitem, quatenus est limes, sed quatenus est lapis hujus vel illius coloris.

XXV.

Sunt autem sensilia objecta ita naturâ comparata, ut non substantiam, sed speciem tantum, & imaginem spiritalem de se spargant, quae in potentiam sensitivam agat, & eandem ex potentia in actum deducat.

XXVI.

Quod etiam Scaliger hisce affirmare videtur exercitatione 297. sect. 4. ubi ait: Sensioris materia sunt objecta species, sed non vera materia, non subjecta, sed objecta.

XXVII.

Hanc vero speciem spiritalem objectum reale repræsentantem, vulgo intentionem vocant.

III. REQUISITUM.

XXVIII.

Tertiò requiritur organum, ad sensiōnē recipiendā aptūm, aliás sensorium nuncupatur: & est pars corporis, quā sensilia objecta facultas sentiens percipit.

XXIX.

Organis namque tota hæc facultas constat, ita ut nullus sensus absq; accommodato corporis organo quicquam percipiat.

XXX.

Sensorium autem sive instrumentum hoc duplex est; **Commune**, unde omnis sensus origo: & proprium, sive particulare.

XXXI.

Commune sensorium est cerebrum, animæ sentientis propria arx, & domicilium à Deo factum.

XXXII.

Utitur tamen & illud duobus præcipue instrumentis, nervis scilicet, & vitali spiritu; qui nervi spiritu hoc vivificati, ad sensuum organa deflunt, & objecta organis percepta, ad cerebrum unde proveniunt, provehunt, ubi tandem de illis fit judicium.

XXXIII.

Proprium instrumentum est, quo quilibet sensus peculiariter utitur: tale est in visu oculus: in auditu auris: in gustu lingua: in tactu cutis nervosa: in odoratu naribus.

XXXIV.

Organorum sensuum communis est conditio, ut, si sensio fieri debet, sana eorum sit dispositio. Læso enim cerebro spiritus propter ruinosum domicilium turbantur: imminutis hisce, nervi hosce non possunt communicare organis exterioribus, neq; etiam deinceps cerebro, unde tota sentiendi facultas imminuitur.

XXXV.

Præterea recipientia debent esse nuda à natura recepti: nam, intus apparet, prohibet alienum. Exempli gratiâ: quando sapor aliquis, aut odor actu inest sensoriis, tum impedimento est aliis, & aut malum, aut difficilem sensum efficit.

XXXVI.

Porrò inter sensorium & sensibile debet esse proportio, justaque distan-
tia: nimia enim vis objecti turbat potentiam sensitivam, resque hujus
vel illius coloris longius sita, alio atq; alio appetet colore: sensorio quin-
etiam superimposita vel nullum sensum efficit, vel sensorium lœdit.

IV. REQUISITUM.

XXXVII.

Quarto, inter sensorium & sensibile medium aliquod à natura est ordi-
natum,

natum, per quod res sensibilis in sensum exteriorem perfertur, quo recte affecto, sensio ipsa erit integrior & verior.

XXXVIII.

Tale autem medium duplex statuunt, unum internum, quod ipsius animalis pars est, ut caro, vel cutis nervosa, alterum externum, quod animalis pars non est, ut aer & aqua.

XXXIX.

Sed cum de iis, quae ad sensationem faciendam requiruntur, loqui incepimus, propter insequentem questionem tres insuper conditiones addere licet: quarum quidem prima non reliquis sensibus communis, sed visus propria & peculiaris est.

XL.

Prima itaque visum spectans haec est: Objecti situs debet esse justus, ut nimirum objectum secundum rectam lineam in pupillam incurrat, figuramque pyramidis efficiat: securus si fiat; exacte visio fieri non potest. Ignis enim a latere positus, non sic afficit oculum, ut directe ei oppositus.

XLI.

Altera generalior moram moderatam requirit, nam quod subito in sensus incurrit, & momento evanescit, non usque adeo movet sensus. Exempli gratia: Manum citissime per flamnam ducens, ignis calorem non sentit; aut si sentiat, parum certe sentit.

XLII.

Ultimo omnino requiritur, ut animus non in rebus alienis sit occupatus, sed rebus percipiendis intentus. Secus namque, etiam oculis aperitis, nihil cernimus.

XLIII.

Hisce ita premissis & perspectis, queri potest: num sensus exteiiores circa sua objecta errare contingat?

XLIV.

Ad quam questionem respondemus: Circa objecta propria sensus non falli: sumamus exemplum a visu, qui in percipiendo colore nunquam aberrat, ut id quod non coloratum est, coloratum esse judicet, vel sonum colorem esse putet.

XLV.

Verum circa objectum commune, vel sensibilis locum, & imprimis

circum illa, quæ per accidens sentiuntur, nonnunquam aberrat sensus; nam quæ moventur, interdum quiescere; & quæ quiescunt, moveri videntur.

XLVI.

Hactenus generatim de sensibus exterioribus, nunc strictius de singulis agendum est.

XLVII.

Pro varietate itaque clementorum sensus dividunt in crassos, puros, & medios.

XLVIII.

Crassi sunt, Tactus & Gustus; ille Terreus, hic aqueus est, habentque conjunctum seu internum medium. Visus & Auditus puri sunt: ille igneus, hic aëreus; medium habentes externum & separatum: Odoratus mediis est, & nulli tribuitur elemento, sed substantiæ mediæ halitui relinquitur.

XLIX.

Sed tactui primum locum dabitur, tum quia generatione est primus, & omnium generalissimus, utpote qui imperfectis etiam animalibus competit: tum etiam quia hic naturæ ordo est, teste Zabarellâ lib. de Methodo cap. 7.

L.

Tactus igitur est sensus exterior, omnes corporum qualitates tactiles percipiens.

LI.

Hujus objectum sunt, omnes qualitates tactiles: ut sunt Calidum, frigidum, humidum, siccum: grave, leve: durum, molle, lument, friabile: asperum, glabrum: crassum, tenuem.

LII.

Ideo qualitates tactiles vocantur, quia ex sua natura, non interveniente alio quodam, à tactu percipiuntur.

LIII.

Non enim visus, nec auditus, alijsve exterior sensus per se monstrat, quæ res sit calida, quæ frigida, aliave qualitate praedita; sed solus tactus hoc est officium.

LIV.

Quod si interdum visus hanc vel illam rem calidam, frigidam, mollem,

lem, duram, vel aliâ qualitate affectam esse cognoscit, id certè sit per accidentem, & iudicium hîc rationis est; ratio autem hoc primò à tactu habet, hæ enim qualitates primò & per se in reliquos sensus non cadunt.

L V.

Quamvis autem plures unâ tactiles sint qualitates, illa tamen varietas non facit diversas species tactus.

L VI.

Non enim id evincitur: Plures sunt qualitates tactiles, vel objecta tactilia: Ergo non unus, sed plures sunt sensus tactus. Illud tantum inde concluditur: Ergo organum tactus variis modis afficitur. Hac enim ratione etiam reliquorum sensuum essent plures species. Visus non album & nigrum solum percipit, sed etiam splendidum & non splendidum, aliosq; plures colores.

L VII.

Unam igitur potentiam tangendi, unum organum; & ita unum tactum, non plures, affirmamus.

L VIII.

Hæc de objecto: sequitur organum; de quo variæ variorum sunt opiniones. Sed nos illis assentimur, qui nerveam pelliculam per totum corpus instar retis expansam, tactus organum esse statuunt, ita ut nulla pars sit sine tactu.

L IX.

Quemadmodum enim reliquorum sensuum organa sunt in certo loco, in capite nimirum: ita hujus tactus instrumentum dilatum est per universum corpus, ob necessitatem scilicet, & incolumitatem ceterorum partium conservandam.

L X.

An verò medium tactus detur, nō minus copiosè, quam acutè disputatur: cum enim in ipso contactu rei tactilis fiat tactus, per medium nullum fieri videtur.

L XI.

Sed ex distinctione suprà allatâ, tactui internum, seu conjunctum medium assignamus, idque tum carnem nerveæ pelliculæ adharentem, tum etiam cutim statuimus. Interdum tamen, aërem & aquam in contactu duorum corporum medium esse, non negamus.

LXII.

Fit igitur tactus, si tactiles qualitates, qualescunque ex sint, aut carnis, aut cutis, aut etiam nullius corporis interventu, proxime ad tangendi nervum accedunt. Nam ingens calor, vel stylus pungens, si nudum apertumq; nervū incidat, acriter sentitur, etiamsi nulla caro intercedat.

LXIII.

Hæc de tactu: sequitur Gustus, alter nimirum sensus crassior; qui in hunc finem animalibus datus est, ut illorum corpora nutriantur & conserventur; absque gustu enim animalia cibum capere nequeunt.

LXIV.

Gustus, est sensus exterior in lingua & palato sensilia gustabilia percipiens, quæ vulgo sapores vocantur.

LXV.

Sapor, est affectio, seu qualitas quædam siccæ in humido generata, quæ ad organum gustus perveniens, ipsum alterat, & ab eo percipitur.

LXVI.

Organum autem gustus est lingua, eaque insipida; nam sapores distinguens & recipiens, nullum in se certum continere debet. Potentiâ debet esse humida, absque humore enim non gustamus.

LXVII.

Maxime autem ad gustum facit tunica nervosa, linguae interior, tum nervus ex quarta conjugatione in tunicam hanc derivatus; quo laeso aut transposito, omnia insipida redduntur.

LXVIII.

Quoniam autem omne id, quod gustari debet, vel actu, vel potentia debet esse humidum, ideo recte hujus sensus medium salivam, vel humorem salivosum esse, asserimus.

LXIX.

Hisce præpositis, in hunc modum gustatum fieri putamus: sapida res, actu humida, facilè linguae saporem imprimit: siccæ autem prius communiciatur, & mox cum humiditate linguae miscetur, & qualitas sapida in humore abluitur, lingueque nervosiori parti speciem sui communicat.

LXX.

Licet autem linguam proxime tangant sapores, & in eam agant materialiter,

terialiter, saporemq; realem imprimant; tamen saporum sensionem per speciei receptionem fieri statuimus.

LXXI.

Hæc de gustu & tactu, sensibus nimirum crassioribus: sequuntur sensus exteriores purissimi, inter quos primum locum visus occupat; ut potest cujus Theoria nō subtilis solùm, propter controversias, verū etiam propter nobilitatem jucundissima est.

LXXII.

Est itaque visus sensus exterior, percipiens oculis lucem & colorem, tanquam propria objecta, & magnitudines, figuras, numerum motum, & situm corporum, tanquam communia objecta.

LXXIII.

Organum hujus sensus acutissimi est oculus, mirâ quâdam structurâ à sapientissimo omnium rerum opifice fabrefactus, imprimis autem in oculo humoris illo crystallino, quem pupillam vocant, & suâ naturâ luceat, & à nervis opticis spiritum recipit, hæc videndi vis tribuitur.

LXXIV.

Versatur autem visus circa sp̄z̄ta, visibilia, quæ radiandi in se vim habent; & sunt vel lux ipsa, vel colores & lucentia corpora, vel aī̄v̄uμα, quæ noctu tantum videntur, & interdiu propter lumen excellentius obscurantur.

LXXV.

Color, est extremitas perspicui terminati. Hic facit ut rei superficies sit aspectabilis, & per superficiem ipsum corpus.

LXXVI.

Lux, est qualitas in corporibus cælestibus, & in igni, aëre & aquâ, ostendens & sese, & alia corpora.

LXXVII.

Medium, per quod objectum visibile ad visum defertur, dicitur aī̄v̄e, seu corpus perspicuum, & radiis pervium, ut est aér & aqua, item quædam composita, ut vitrum, tenui cornu, crystallus, quæ quidem actu lucida non sunt, recipere tamen lumen & illustrari possunt.

LXXVIII.

De modo visionis nobilis inter nobilissimos Philosophos jam diu est agitata quæstio: An visio fiat ῥ̄ḡl̄ ēnπoμπ̄n̄ per emissionem radiorum

ad objectum, an per specierum visibilium in oculum immisionem, *et*
έντρομπην, an verò utroque modo, *συναντήσεων* corradiationem nimurum,
vel per receptas simul species, & emissos radios.

LXXXIX.

Argumenta autem harum opinionum disputationi nostræ inserere
nimis longum foret, paucis sententiam nostram indicabimus, quā sta-
tuimus visionem fieri partim emissione, partim verò receptione.

LXXX.

Tantum de visu, sensu omnium nobilissimo, & propter operationem
præstantissimo & acutissimo: sequitur jam de auditu.

LXXXI.

Auditus, est sensus exterior, auribus sonos percipiens, per aërem
& aquam.

LXXXII.

Objectum ergo ejus sonum statuimus: qui est qualitas orta ex aëris
fractione, quæ sit collisione duorum corporum solidorum.

LXXXIII.

Fractio hæc in aëre spargitur, quemadmodum lapillo in aquam con-
jecto circulos proferri videntur; quod si in angustioribus fontibus acci-
dat, circuli illi citò in parietem impingunt, repulsi circulos geminant:
ita fractio illa aëris reddita in locis tectis, cavernosis, aut densioribus syl-
vis, geminat sonos; quæ geminatio Echo dicitur.

LXXXIV.

Duo autem hæc corpora inter se collisa, alterum habet rationem a-
gentis, alterum patientis: necesse enim est, ut alterum verberet, alterum
verberetur.

LXXXV.

Cùm autem scuticâ seu virgâ in aëre sonus efficitur, ibi aër duorum
corporum rationem habet, & medii & percussi, secundūm tamen diver-
sas sui partes.

LXXXVI.

Soni species vox est, reperta in solis animalibus, quamvis non o-
mnibus. Dicitur autem vox sonus animalis, qui aëris in gutture attrac-
ti respiratione excitatur. In homine specialiter dicitur *diáλεκτος*,
seu sermo.

Instru-

LXXXVII.

Instrumentum auditus duplex est, externum & internum. Externum sunt binæ aures, cartilaginosæ, multis flexibus & anfractibus ab externis injuriis defensæ.

LXXXVIII.

Interius instrumentum, sunt nervi auditorii, ex conjugatione nervorum in aures expansi, tribus deinde in cavitate ossiculis, malleo, incudi & stapedi conjuncti, quæ ossicula tunica crassior & sicca, tympanum nominata, tegit, ubi aër connatus & vernaculus continetur.

LXXXIX.

Aërem hunc instrumentum primarium auditus quidam ponunt; sed nos his persuasi rationibus id tanquam falsum rejicimus. I. In omni organo perfecto est pars quædam, cui tanquam principi tribuitur actio: sed aëris hic neque pars similaris, neque dissimilaris est. II. Nihil carens animâ, sensus alicujus organum esse potest: talis autem est ille aëris intrinsecus contentus.

X C.

Sed medium potius internum dici debet hic aëris: concutitur enim internus aëris ab externo, per tympani & ossiculorum trium interjectionem.

XCI.

Medium externum auditus, est aëris & aqua. Certum enim est, animaltes tam in aqua, quam in aëre audire: in aqua tamen rarius quam aëre fit auditus.

XCII.

Sciendum tamen est, aërem hunc non simplicem esse aërem, sed certo modo affectum. Quemadmodum enim visus medium est *στραφανής*, sic auditus medium *συγχέεις* & quasi resonans.

XCIII.

Sic itaque fit auditus: Collisione duorum corporum solidorum aëris soni qualitate afficitur, & vicinum aërem alterat, hic proximum cogit, donec aëris continuatus soni qualitate affectus ad aurem perforatur, quem sonum aëris vernaculus, intra membranulam inclusus, statim excipit, & nervo auditorio tradit, qui sonorum omnium imagines ad sensum communem tanquam judicem yicit.

XCI.

Et hæc de auditu & visu, sensibus purissimis, sequitur olfactus, medii scilicet temperamenti sensus; qui est sensus exterior, sensilia odorabilia percipiens.

XCV.

Sensile ejus est odor, qualitas scilicet mixti corporis, ex sicco sapido, contemperato cum humido orto, & à calore educata. Hic magnam habet cognitionem cum sapido: omne namque sapidum odoratum est.

XCVI.

Odoribus tamen non nutrimur: quia quod corporeum non est, & in substantiam nostri corporis transmutari non potest, nutritre nequit: & quoniam neque sapidis, quatenus sapida, nutrimur.

XCVII.

Sensorium externum hujus sensus, sunt nares, cartilaginosæ quidem, ut, accedente odore malo, facile claudi & ascensum illius prohibere possint.

XCVIII.

Interna duo constituunt organa olfactilia, aliis processus mammillares dicta, ex cerebro per frontis os derivata, in duas crassiculas partes desinentia, quibus odores ad nares pervenientes distinguimus, qui bene, quique male oleant.

XCIX.

Debilius hebetiusq; in homine, quam in brutis quibusdam, hoc organum ob hanc rationem esse dicunt; quia non sit exacta proportio sensitilis & sensus. Odora enim à calido & sicco proveniunt, cerebrum autem humanum humidum & frigidum est, unde odorandi perfectio impeditur, nihilq; nisi excellens odorabile percipitur.

C.

Sed cùm illud non in hoc tantum sensu accidat, verùm etiam in reliquis omnibus, juxta distichon hoc:

Nos aper auditu, nos vincit aranea tactu;

Vultur odoratu, lnx visu, simia gustu;

Admirari fortè quis posset, cur in homine, animali alioquin perfectissimo, etiam quoad reliquos sensus, imperfectio quædam appareat.

Ad

C I.

Ad hoc Julius Scaliger Exer. 247. respondet. Excellentia vel celeritas, vel receptionis homo à brutis, illa vero ab homine judicio vincuntur. Perspicacior aquila visus à natura datus est, cani odoratus ad certum usum: non est nobis querendus cibus nare, non captandus aspectus remotiore, satis est homini si admota judicet, atque ad eam referat intellectum, quæ beatitudinis est quasi commeatus quidam.

C II.

Medium vero odoratus aerem & aquam ponimus. Omnia enim in terris viventia (excipe sensu hoc parentia) per aerem capiunt odorem. Quem vero in aquis degunt, per aquam odores sentire videntur, quia eminus escam querunt.

C III.

Atque haec de sensibus Exterioribus, primo quidem generatim, postmodum vero speciatim, satis pro ingenii nostri tenuitate dicta sunt.

S O L I D E O G L O R I A .



C A R M E N

A D O R N A T I S S I M U M J U V E N E M

D N. JOHAN. FRIDERICUM RAMSOUERUM,
theses de sensibus quinque exterioribus
publicè defendentem.

E S T locus in Physicis nullus perplexior isto;
Inniuit ut scitè magnus Aristoteles.
E S T locus in Physicis nullus præstantior isto;
Hoc affirmabit qui leget huncce probè.
Ergo laudandus meritò est perplexa resolvens,
Perfpicuis verbis, perfpicuoq; modo.
E S T etiam meritò laudandus scripta volutans,
Qua solum capiunt utile, queq; bonum.
Isthaec cùm facias dextrè FRIDERICE fidelis;
Jure es tollendus laudibus usq; polum.
Sunt hec magna quidem; verum majora videbis;
Signavus cœptum continuabis opus.

JOANNES-CUNRADUS
AMMIANUS F.

F I N I S.

Ad hoc Julius Scaliger E
tis, vel receptionis homo a
tur. Perspicacior aquilæ v
tum usum: non est nobis q
remotiore, satis est homini
lectionem, quæ beatitudin

Medium verò odoraēus
terris viventia (excipe sens
Quę verò in aquis degunt,
nus escam quærunt.

Atque hæc de sensibus I
modum verò speciatim, sat

S O L

